10

EPICEDIA
IN OBITUM, UT LUCTUOSISSIMUM, ITA BEATISSIMUM
VIRI ANTIQVA VIRTUTE ET FIDE,

ADMODUM REVERENDI, AMPLISSIMI AC CONSULTISSIMI

DN. JODOCI NEOMARCI, JUDICII AULICI PROTONOTARII EMINENTISSIMI, NEC NON TEMPLI CATHEDRALIS MARIANI STET. CAPITULARIS, ET ILLUSTRIS IBIDEM PÆDAGOGII PROVISORIS FIDELISSIMI MERITISSIMIQUE

ANNO { 1589. d. 6. Novembr. Dantisci nati; 1641. 2. Julij post h. 5. vespertinam Stetini maximo suorum cum luctu denati, & 8. ejusdem Mens: honorificentissimè humati:

SUPREMI HONORIS ET PIÆ CONDOLENTIÆ ERGÒ FUSA

AB

AMICIS MOESTISSIMIS.

STETINI, *Literis* GEORGII GOETSCHII.

Icccine densantur Clarorum fata virorum,
queîs Schola prælustris Patribus usa fuit?
LEUSCHNERUM nuper jugularunt spicula mortis:
Eheu JODOCUS nunc NEOMARCUS obit.
O Schola prælustris, te Rector liquit amandus:
Providus heu te nunc deserit ille Pater.
Nonne vides summi flagrantem Numinis iram?
Hanc subitò precibus flectere disce piis.
Vos autem Manes nullus dolor angit & urget:
sed mirè reficit gratia larga DEI,
Munera qui cunctis credentibus aurea donat,
& potiora auro gaudia summa poli.

JACOBUS FABRICIUS D.
Superintendens.

SIccine subtractus mundum, NEOMARCE, relinquis,
Qui longùm poteras utilis esse Bonis?
Hunc abitum luget Templum Cathedrale; suprema
Curia Gryphiadûm, Gymnasiumq; dolet.
Hunc abitum Conjunx flet, Progeniesq;, Generq;;
Totaq; Gens clarô sanguine juncta gemit.
Omnibus his clades affertur acerba, caditq;
Omnibus his casu fida columna tuô:

Contrà læta tibi superâ sors contigit arce:
Vita beata, salus perpes, amica quies.
Hinc tibi gratandum verè; nobisq; precandum,
Ægris ut relevet vulnera tanta DEUS.

θεραπείας ἢ συμπαθείας
ἕν. ἕχ.

M. HEINR. KIELMANNUS, Gr. L.
& Poës. Prof. & ConR., Pæd. Stet.

TErtius en Ephorus Templi illustrisq; Lycéi,
Tempore quo vivo hic, jam NEOMARCE (cadis!
Qvid de Pastoris Collegarumq; duorum,
Qvid de Rectoris funere multa feram?
Heu mihi, qvid varia hæc statuum mutatio visa
Vult sibi? portendit qvid tibi Virgo sacra?
Defunctis eqvidem bene: sed nos dira lacessit
Sors, atq; exercent hic mala fata bonos.
Interea at felix, DOMINO qvi fidere novit,
Cujus & est CHRISTUS lux, via, vita, salus.
Nempe pij tandem ceu transcribentur Olympo,
Sic Erebi æternùm monstra proterva luent.

Supremis Dn. Compatris & Patroni sui honoribus dicabat
condolens
M. ERICUS PELSHOFERUS,
SubR. Pæd. Stet.

JODO-

JODOCUS NEOMARCUS
ἀναγρ. C in T mut.
CARUS ES TUO DOMINO

Fidus eras Christi servus, NEOMARCE; talenta
Ut decet auxisti credita rite tibi.
CARUS ES inde TUO DOMINO; is post tædia centum
Præmia mille Poli & gaudia cuncta dabit.
NVnC habItas VIVVs paLatIa sVaVIa CœLI,
Te tenet aVLa nItens, nos LaCryMosa Casa.

Supremi honor. & pie condolent. caus. f.

ANDREAS FROMM,
Wusterhus. March.

O Mors quò tua jam vertis Mavortia tela?
LEUSCHNERUM haud satis est te rapuisse modò?
LEUSCHNERUM tristes cujus nunc Fata dolemus,
Cui clarum dederat nomen habere DEUS.
Non satis hoc damni est, dic, ô truculente Tyranne?
Unum post alium sic jugulare placet?
Nempe etiam propero NEOMARCUS funere mersus,
Vir pietate gravis, vir gravitate pius.
O mortem diram & duram, quæ tanta dolorum
Nobis, heu miseris, vulnera ubiq; facit!
Sed tu magne pater Divûm miserere tuoq;
Jam tandem populo ferto benignus opem.

FRIDERICUS Kornmesser/ Stolp. Pom.

TEmporibus duris afflant asperrima Fati;
Æstibus in tantis DEUS ô solare repentè
Omnes, quos tempus premit, & queis horrida mor-
Falx est terrori! facias ne tempora sint hæc [tis
Artibus exitio egregijs atq; omnia perdant.
Nunc mala res urget, Musæq; favore benigno
Me quæ suscepit, varios multosq; minatur
Casus, sternendo LEUSCHNERUM funere vivum
[Dico LEUSCHNERUM ô si vitæ munia haberet!]
Jamq; iterum tollendo virum, qui magnus in omni
Laude, in qua clarus vir præstat, & optima prodit.
NEUMARCUS, sua qui sacrabat tempora vitæ
Artibus, & cunctis, queis commoda crescere possunt
In patrijs terris qui sunt, sedemq; locarunt,
Nunc cadit: ah lachrymet, cûi jus cûi publica curæ,
Singultus mittat, qui scriptus in arte Minervæ;
Heu manent lachrymæ! heu luctum permittito vitæ
Omni! Etenim cecidit Musarum gloria lausq;

Deproperabat
GEORGIUS HEINRICUS Winther/
Caminô Pomeran.

MOrs ruit & veluti maturas messor aristas
Omnia vulnificâ falce cruenta secat.
Exemplo hic nobis sit Vir, qui floruit Orbe,
Marcuit ast subitò, morsq; recidit eum.
Attamen in cœlis clarus nunc ipse virescit,
De facie ad faciem dùm DOMINUM usq; videt:
Mortales quò nos etiam transibimus omnes,
Qui superum colimus pectore & ore DEUM.

Ultimi honoris & consolatio-
nis gratia f.
SAMUEL Weigman/ Crosnâ Silesius.

Ah te

AH quæ te noviter MORS inclementia duxit,
Dum tua falx tantos messuit, ecce, viros?
LEUSCHNERUM rapuit Musarum nobile fulcrum,
Omnibus hîc facilè qui fuit arte prior.
Nunc eadem Magnum NEOMARCUM demetit, eheu!
Qui Patriæ lumen, gloria magna fori.
Ast placitum hoc Domino est, hominũ qui dirigit actus:
Hinc etiam placeant, quæ pia fata volunt.
Idcirco cessent lacrymæ, suspiria cessent:
Ossa dedit terræ, sidera mente colit.

Lugens f.

JACOBUS FREIBERG, S. P.

MIlitat omnis homo, cùi ducunt fila Sorores,
Et semper, quo cum mens pia certet, habet.
Ast illi Soli celebris victoria cedit,
Qui Duce sub CHRISTO *Martia signa gerit*
Namq; DEI verbum, clypeus ceu fervidus ignes,
Protegit infesto semper ab hoste PIOS.

lug. f.

ANDREAS GARTZÆUS, Stet. Pom.

QUid trepidas pectus properata ad fulmina Mortæ
Terribilis? mœstos quid facis ore sonos?
Expectanda dies semper postrema: Labori
Hæc finem imponit mœstitiæq; modum.
Ergo Parca fremat, ringat Libitina furatq;,
Conscia mens recti cœlica regna petit.

Ultimi honoris & contestandæ condolentiæ
ergò Dn. Affini suo apposuit

JOHANNES CHRISTOPHORUS
FABRICIUS.

ἀνδρῶν

Ἀνδρῶν κηδείαι τί ποτ᾽ ἐκβαίνοντι τοσούτων;
Ἐς τί παρέφερεν τῶν Μοιρῶν λύαστημα περιβαίνει;
Ἄρτι ὁ τῆς Σοφίας κόσμος καὶ ἄγκυρα τούτου
γυμνασίοιο βίον τελέσσαι ἐποίεε θρήνους
ἡμῖν. Νῦν δὲ ἀνὴρ οὐ ταῖς Νύμφαισιν ἀπεχθὴς,
υἱὸς Μνημοσύνης, Ἔφορος σηκοῦτα σχολῆς τε
Ταύτης ἐξέπνευσεν. Ἄνευ ὀλέθροιο τοιαῦτα
οὐ πάνυ. Ω Θεὸς, ὦ θνητοῖς σύμπρατε ἅπασιν!
ἡμῖν γὰρ μόνος εὖ οἴδασθα βοηθὸς ὑπάρχειν.
καὶ ὀργῆς πάυου καὶ ἐχθροὺς πάντας ἀφαίρει,
Δαίμονα τὸν φθονερὸν, πόλεμον, θάνατόν τε νόσους τε.
Τοὐντεῦθεν μάκαρον νεκρῷ ἀνάπαυμα δίδοσθαι
εὔχομαι ἀθάνατον, καὶ ἀγαθὴν, ἐν δόξῃ ἔγερσιν.

θεραπείας καὶ Συμπαθείας ἕνεκα
γέγραφε

CHRISTIANUS FABRICIUS
Sed. Pom.

Dum pia Gymnasium LEUSCHNERI *funera deflet,*
En quoq; NEUMARCUS *morte necatus obit.*
Ergo suas duplicent lacrymas Heliconis alumni,
Dum sua Gymnasij fulcra jacere vident:
Namq; Scholæ hæc magnam portendunt signa ruinam,
Quam tamen avertat Summus Iöva rogo.
Sed Sanctæ ô animæ pravis è fluctibus orbis
Lætæ emersistis: Vos pia vita beat.
Aspectus Domini est vobis nunc summa voluptas,
Sentitis requiem, gaudia, vera bona.

Deproperab.
ULRICUS CLEMENS MICHAELIS.

O mors

O Mors! quot mœstos homines tu quotq; misellos
Reddis, quando Virum hunc surripis ex oculis.
Nullum (mirandum est) curas, en tollis & IRUM
Et CRÆSUM & solvis Corda ligata Tori.
Corda ligata Tori solvis dum surripis illa,
Te contra heu nullus MARTE nec ARTE valet!

*In piæ συμπαθείας testificatio-
nem hæcce adpos.*

CHRISTIANUS TOLLACHIUS
Brandenburgo March.

*SIC igitur, sic ante diem fugis, ocior Euro,
Mi NEOMARCE cadis? sic velut umbra fugis.
Ah! quid vita? Cita fallax nisi mortis imago,
Mox subito casu, quæ valuêre, ruunt.
Si mea, si quicquam potuissent vota Lycêi
Nostri, non Letho pallida præda fores.
O importunas fauces! ô ferrea Parca!
Par erat hîc parcas exeruisse manus.
Sed quid? cuiq; dies stat, & irreparabilis hora
Omnibus est vitæ, quam DEUS ipse regit.
Cum volet iste, statim sequitur TE quisq;, nec ulli
Certa dies, omnis, cum venit hora, cadit.
Ast tu plaude novâ vitâ, nova jubila tolle,
Vivis ubi VITA est, gaudia mille cape.
In cœlis animæ, cineri sub mole sepulchri
Sit requies, junctis sit sine fine decus.*

Ultimi honoris & observantiæ
ergò apposuit

JOACHIMUS POLEMANNUS
Sedinô Pomeranus.

F Leto nunc Abies, qvia Cedrus cæde perempta,
Zacharias vates voce sonante refert.
Hoc factum cernens miserando temporis actu,
Non Abies plorem, rore rigemq; genas?
Qvando vexatur gravibus Schola nostra procellis,
Et damnum studiis vis truculenta parat.
Ante dies denos LEUSCHNERUS morte refectus:
Gymnasiiq; caput jam NEOMARCUS obit.
Is præclarus erat, Cedrus fæcunda medullâ
Doctrinæ, suavis sedulitatis odor.
Hic qvidni Cedrus, dum leges, æqva statuta,
Et jus sancivit, jure vocandus erit?
His læsis Cedris, luctu studiosa juventus
Conqveritur, mala nunc cùm duplicata videt.
Ecce exsiccatis Abies stat frondibus, altos
Inclinat ramos, & folia ægra cadunt.
Undiq; per rimas largissima defluit unda,
Perspiciturq; ferè proximus interitus.
Qvis reddit vires? virides qvis sufficit artus?
Qvisve ligat rimas? unde paranda salus?
Sed moderandus erit mœror: pia vota litamus
His Deus ut tribuat cœlica regna piis.
SeDIbVs In sVperIs aMbobVs spIrItVs, eIa!
VIVIt; non fortIs trIstIa fata noCent.

Supremi honoris ergo appos:
lugens
JOACHIMUS DANNENVVALT. W.P.
Ach!

ACH! wie kompt der Todt so bald/
Ehe wir es werden innen/
Ehe wir vnß recht besinnen/
Kürtzt vnß / eh' wir werden alt /
Vnser süsses Leben ab/
Führet vnß zum Grab hinab.
Vnsre güldne Fröligkeit
Thut er gantz vnd gahr verstören/
Fraget nicht einmahl nach Ehren/
Wie wir haben vns're Zeit
In den Büchern zugebracht/
Gantze Tag' vnd gantze Nacht.
Er veracht' der Witwen Bitt/
Leg't jhr Mann einmahl sich nieder/
Er kompt nimmer zu jhr wieder.
Theilet keinen Trost jhr mit:
Ach / das keine Tug nd nicht
Dir / O Todt / das Hertze bricht.
Es wil gahr kein Guth noch Geldt
Bey dem Schwartzen Tod' verfechten /
Er frag't auch nach keinen Rechten.
Was er findet in der Welt/
Ist jhm gleich / er raff't es hin/
Hiernach leckert nur sein Sinn.
Eines aber fehl't jhm noch/
Dasselb' muß er lassen stehen/
Nemblich vns're Seel zu gehen
Auß des Lebens schwerem Joch
Hinauff zu des Himmels Zier/
Da Sie lebe für vnd für.
Dieses ist die beste Wonn/
Ob der Leib schon zu verdorren
In die Erde wird verschorren/

 Die

Die wir letzlich hab'n davon.
Nu/ sehr wol ist der daran
Der/ so Frewdig leben kan!
Der so frewdig leben kan/
Wenn wir vnß nur recht besinnen/
Könten wir gahr leicht gewinnen;
Ist es nicht der FROMMEMANN/
Dessen Cörper vnd Gebein
Werden jetzt gesäncket ein?
Kom kom Tröster in der Noth/
Stille dieses Hauses Klagen/
Hilff das es nicht mög' verzagen
Vber ihres Herren Todt;
Gib das es in guter Ruh/
Seine Jahre bringe zu.

Condolentiæ ergò
apposuit

JOHANNES WATSON
Stolp. Pomer.

